

populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio.

r. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, * Et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.

v. Fide celebravit Pascha et sanguinis effusione; ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.—Et ait.

LECTIO III.

HABENTES itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est Carnem suam, et Sacerdotem magnum super Domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, [fidelis enim est qui promissit,] et consideremus invi-

cem in provocationem charitatis et bonorum operum.

r. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

v. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

Ipse enim.

Gloria Patri.

Ipse enim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ant. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis cæsum.

Ps. Dominus regit me, *ad Primam.*

Ant. Videns autem quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine justis hujus.

Ps. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, *fer. 2. ad Mat.*

Ant. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Ps. Exaudi, Deus, orationem meam, cum de precor, *fer. 4. ad Mat.*

v. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

r. Emundat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.